Gotfridi Smollii

TRIAS,

Maritima.

Proponens;

Per introductionem trium ægrotantium;

Sororum morboſarum domeſticarum,

HYPOCHONDRIACÆ, SPLENETICÆ;
HYPOCHONDRIACÆ MESERAICÆ;
HYPOCHONDRIACÆ PHANTASTICÆ;

Ortum & interitum.

HAMBVRGI,
Ex Bibliopolio FROBENIANO.
ANNO cIↃ. IↃC, x.

AD ALMÆ
REIPVBLICÆ LV-
NÆBVRGENSIS

PROCERES ET SENA-tores,

Viri Magnifici: Viri Prudentes,

Annus præteriit cum quadrante, quo tempore vestra hæc civitas, me liberum tenuit hominem solis agris & quibusvis aliis officiosum, pro virili, & eâ, quam vix sentio, facultate. Feci quod potui: an inglorius & mutâ arte? fateatur ipsa invidia. Negligentiam, genium meum alia negotia, variarumq; recreationũ exercitationes (quæ tamen & naturæ & artis legibus, medicum non dedecent) nemo prudens accusabit, nisi peregrinationes improbare velit, & necessarias, & ordinarias.

 Salva-

Salvabit me trias hæc ſororum, Viri ampliſſimi, in veſtrâ civitate tripudia celebrans; at morboſa, morboſos, & languidi paſſus, ſaltus, inſtruens.

Non enim ægros (ut proh dolor hodie apud nonnullos malignus invaluit mos) viſitavi: aut conſuetudinis ductu: aut compotationis appetitu: aut confabulationis pruritu: aut pravâ cupiditate nova audiendi: & eadem ſive ficta, ſive prorſus falſa recenſendi: aut de domo ad domum homines circumferendi, in gratâ promptitudine, coactus: ſed quia ſciebam, diligenti morbi totius cognitione, prognoſi cautâ & ingenioſâ doctâ & judiciariâ experientiâ, atq; tandem accuratâ & aſſiduâ eorum quæ ſunt, & in morbis eveniunt, obſervatione, medicum perfici. Suſpiciamus Hippocratem, & divinas illius prædictiones, ex obſervationibus, plus quam humanis, admirabimur!

Hos igitur ſcopos, ſemper mihi decumbentes viſitanti, præfixi, & vel domi, vel in itinere, profundè diſcurſus beneficio & ſolus, & coràm aliis, examinavi.

Hinc

Hinc nata hac ſororum trias, vobis, ô Lunaburgenſes, præ cæteris morbis, infenſa hoſpites. Vix enim veſtrorum aliquem morbo conflictatum, recordor, quem non vel omnes ſimul, vel una harum ſtrenuè exercuerit. Et quis ex vobis eaſdem domi ſua non ſuſtentat? ita quidem ut hactenus ipſas, tanquam advenas & peregrinas, jure incolarum, & domeſtico augere volueritis. Penes vos, Viri Ampliſſimi, hujus Reipublicæ regimen, veſtra hac politia, veſtra hac civium ſocietas. Triadem ergo hanc vos intuentem, veſtros pleroſque conſiderantem, veſtrorumquè malis conſilium, & auxilium quale, quale ferentem, ſuſcipite, & à malevolâ benevolentiâ defendite. Nec dignum ob iſta cenſeo, me à vobis magnifieri, ut qui non ſtudioſus jactantiæ, arrogantiæ, & ambitionis ſim, & qui parva magnipendam: neque ob mercedem, de veſtra Repub: benè mereri in animum induxerim: ſed quod mea officia cupiam veſtro favore eſſe comprobata, ne deſpectus ſit, nevè inglorius fiat meus conatus, tanquam à vobis

mancus, & patrocinio judicetur indignus. Siccine gratitudinem meam erga vos contestabor? siccine vobis, salubriter vivite, acclamabo? atque me ipsum honorificentia & observantia titulo cuilibet vestrum, insidiantem, si merebor, commendabo? Lunaburgi die Convers. Pauli Anni 1610.

V. A. O.

D. GODTFRIDT Smoll, Philosoph. & Chimiater.

LECTORI MEO
ÆQVANIMI S.

CAusam ſcriptionis meæ paucis tibi exponam, amice Lector. Nullus communior eſt morbus, præſertim in locis maritimis & inferioris Saxoniæ, hoc triplici: qui unitus, ſæpè ægris maximas moleſtias & vitæ periculum parit: frequens maribus, frequentior fæminino generi, hoſtis. Rogatus ergo à quibuſdam, ut, quomodo curaverim, curandusq; ſit hic triplicatus affectus, & quo regimine ægri tenendi, conſcriberem; tergiverſari non potui; quin potius, communi quam privatæ utilitati conſulerem. Itaque quod feci cur fecerim, etiam maligna invidia, cernere & audire cogitur: adverſus quam hoc alexipharmacum

Vt ſolet ignivomas Salamandra extinguere flammas,
Ardentem VIRTVS, *ſic vorat* INVIDIAM,

extat: nec minutulos ac clandeſtinos illos calumniatorculos pluris faciam

——— *quam vel*
Trux elephas, muſcæ murmura.

æquiſſime Lector vale.

TRIADIS
Soror Prima,
STATVS
ÆGRITVDINIS PRIMVS.

Bellona in via ad rudera vici habitans in hypochondrio sinistro dolorem gravem cum levi rigore sentiebat, torminibus intestinorũ cruciabatur, & egerendi difficultate: ventriculi quoq; inflatio & præcordiorum angustia aderat, nec nõ ructus frequentes nauseam comitabantur, subinde lypothymiâ conflictabatur: hinc virium lapsus effatu dignus, hinc functionũ omnium debilitas, crurũ ponderositas & tremor, genuum atq; articulorum dolor obtusus & formiculans, cum pedum tumore, membrorumq; fere omnium spontanea lassitudo & motus pigrities. Sudabat, curabatur.

DISCVR-

DISCVRSVS.

HYpochondriacæ ſpleneticæ ſigna, hac ægritudinum narratione, ob oculos ponimus, quæ ſplenis obſtructionem arguunt, & humoris melancholici attractionem impediri ſignificant. Sub quo autem morbi titulo, hæc ſymptomatum congeries ventilanda ſit, dubitari poteſt. Non enim ſimpliciter obſtructionem hic ſtatuendam cenſemus: non ſcirrhum: non tumorem quemvis alium minimè exquiſitũ, & ſplenis inflammationem: ſed primum gradum illius ægritudinis, quæ in hypochondriis præſertim in liene generatur & vires ſuas exerit, reliquorum viſcerum & partium cæterarum corporis, ſymptomata cauſando. Primum gradum dico: quoniam tres diſtinctos gradus hypochondriacarum paſſionum, ratio & quotidiana experientia medicos docuit. Primus eſt, quando humor craſſus frigidus &

totus mercurialis in vasis sanguinis contentus, sive melancholicus is sit, sive commixtus cum pituita, lienis venas obsarcit: atque non simplici modo tale quid agens, regurgitando totam massam sanguineam corrumpit qualitatemque vitiosam inducit, & vel prædicta vel illis similia symptomata parit. Hi tres gradus hypochondriacorum morborum, caussis non adeo discrepant, quamvis formâ, qualitate, situ, loco affecto, symptomatibus & distinctâ agendi formâ inter se differre compertum sit. Ordines quoque perfectionis in animo habere operæ pretium est: horum quippè observatio multum lucis in cognitione dictorum morborum affert. Alter gradus est, ubi fomes morbi, impropriè in viscere aliquo latet, & ab illius vel vitiosa constitutione, vel prava affectione fovetur, sed simpliciori forma corpus affligit, habitâ ratione temperamenti, præsertim si causa est alterius visceris intemperies,

ries,atque debilitas. Hâc enim conditione, præsertim si angustiores sunt viæ; facile æstus & calor in hypochondrio utroque percipiuntur, & salis principatum innuunt. Itaque venas mesenterii suspectas habemus, si accidentia morbi spectamus. Tertius non solâ excellentiâ & vehementiâ manifesti symptomatis in partibus principibus, distinguitur à dictis; verum etiam habituali actione ad quam humor sanguineus ex dispositione transivit: & metuendum ne universum corpus intemperie depravatâ corrumpatur, & qualitate à naturali diversa afficiatur, aut sanguinis massâ nimium adustâ & ad incinerationem sulphurationemque tendente, aut eâdem infrigidatâ (quatenus tale quid accidit) & exiccatâ. Ad primum gradum, statum ægritudinis primum (ut antea quoque insinuatum) refero. Status hic triplici processu distinguitur: nempe principio: augmento sive incremen-

to: ingravescentiâ sive consistentiâ. Quamvis autem hæc ægra exactè omnium morbi temporum distinctiva symptomata passa videatur, tamen pathognomica signa (ut quibusdam placet ea appellare) cujuslibet intervalli non habuit, quibus præcipuè inter se discernuntur. Et tunc demũm quando apparent, vulgus medicorum ex sententiâ vetularum scorbutum arguit. Signa ergò principij ponunt DD: gingivarum pruriginosam rubedinem à naturali mutatam, ac dolorem, addito faciei colore ex pallido in fuscum vergente. Augmentum, sive incrementum significari dicunt, si gingivarum laxus, sanguifluusque tumor & putredo cum oris fætore adest, aliquando etiam caro ad dentium radices consumitur, hinc dentes vacillare coguntur. Addunt, crurum, femorum, & non raro totius corporis lituras: easque duplices: majores, & minores: illas maculas amplas vocant, plumbeas, lividas, purpu-

purpureas, nigris violis. obſcuriores, ex fæce corrupti ſanguinis eò decumbente genitas : & hâc de cauſa raro in aliis locis, quam in cruribus emergere ſolent : has, maculis ex pulicum morſu cauſatis comparant, & ex minus craſſo ſanguine procreatas eas ſtatuunt. Ingraveſcentis morbi ſigna ponunt, crurum rigorem, ambulandi impotentiam, nervorum contractionem, anhelitus difficultatem, præſertim ſi æger movetur, aut erigitur, aut ſedet, tum quoque ferè vel omnino linquitur animo, decumbens autem reſpirat liberius, reficiturque: addunt; quoſdam frequenter cibos appetere, quibuſdam aviditatem edendi languere. Extremitatem morbi, mortiſque periculum prædici putant, ſi in faucibus livor apparet, eò quod univerſum corpus hac putrilagine permaduit ita, ut ferè mortis periculum haud longè abſit. Verum equidem eſt, multum dicere eos, qui huic ſententiæ patrocinantur, quam-

vis minus distinctè, de signis temporum distinctivis loquantur, & impropriè symptomata accommodent, nullâ communitate, nulloque ordine observato. Miror ergo illos, qui ita scorbutum proclamant, non alio nisi ad dentes, ossa, & alia respicere membra externa. Tunc enim, quando hac figura in dictis partibus manifestatur, adeò validus esse ejusmodi affectus significatur, ut principalem ad se rapiat curam, non sub forma scorbuti, ut talis, videlicet, ad suas causas relati, sed quatenus cum particularibus morbis hujus, vel illius membri in quibus hi conspiciuntur est conjunctus. Vix ergo ad principium specificum respiciens medicus, aliquid præstabit in cura tali in casu.

Cæterum signa in principio morbi absolute considerata, non sufficere videntur ad Scorbuti positionem. Dentium enim caries, nigredo, rubedo, dolor, prurigo, accidere possunt absente Scorbuto, quod patet in illis

qui

qui à nativitate ſcabritiem dentium producunt, quod potius ratione ſeminis quam à cauſa morbi factum, putarim. Doloris & ruboris eadem eſt conditio, ſiquidem aliis alia de cauſa (quas hic recenſere & ſupervacaneum, & prolixum eſſet) accidere poſſunt. Idem judicium eſt, de incrementi, ingraveſcentiæ, & mortis judiciis: quandoquidem nullum ſignum per ſe uniuſcujuſq; temporis morbi (licet etiam omnia in unum colligantur) Scorbutum ſcientificè & medicè loquendo denotare poteſt: niſi omnia & ſingula, omnium temporum & primi hujus morbi ſtatus ſimul uno conceptu perpendantur ſymptomata. Hinc recta morbi oritur cognitio: & ex his quantum quis rectè cognoſcit, tantum rectè curat: multum enim facit ad curam, omnium ſignorum una complicatio. Atque tandem data certitudine morbi, ex præſuppoſitorum ſignorum una collectione; de Scorbuti proceſſu, genera-

nerati quâdam notitia ita ftatuere poſſumus, per ſigna diſtinctiva: ut videlicet, inopinata craſſitudo vel pinguedo, cum coloris rubri & vivifici ad lividum tranſmutatione, principium ſignificet: gingivarum & dentium affectus, ſic & maculæ utriuſq; generis, medium ſive augmentum denotent: tabes autem ſubcutanea, macularum evaneſcentia, & alia graviora ſymptomata, finem & mortem denuncient.

Quantum ad noſtram ægram ſpectat, eſt hæc hypochondriaca ſplenetica, eò, quod omnia ſymptomata, ad ſplenis vitium primariò referantur, & in hypochondriis manifeſtentur. Scorbutica autem non eſt, ſi noſtrorum medicorum mentem ſpectamus; quia ut anteà dictum fuſius, propria ſcorbuti ſigna non habuit. Et largior illis hoc licentiæ, ut illam Scorbuticam propter communitatem quandam ſignorum vocent, ſi modo ſublimius in conſiliis aſcendant,

dant, & non in triviali curandi modo solum acquiescant, mitiusque agant, quam si simplicem curent scorbutum, quem solis calidissimis medicaminibus expugnare laborant, non rarò cum ægri detrimento, & suiipsius infamiâ.

Exactioris ergo intelligentiæ caussa, syndromen symptomatum, hujuprimi status ægritudinis, conclusionibus quibusdam synopticè ob oculos ponam. Et animadvertet sedulus lector dispositionem morbi tantum: gratia autem perfectioris notitiæ, scorbuti exacti signa apposita videbit.

1. Frigidi & indigesti cibi avidius sumpti, morbos hujusmodi caussare videntur, ex quibus medici, unum, cachexiam universalem appellant.

2. Proximè causat humor crassus, crudus, frigidus, in vasis sanguinis contentus, sive is sit melancholicus, sive cum pituita, vel simplici, vel alterius Ideæ, mixtus.

3. Remo-

3. Remotè agunt ſex res non naturales; aër corruptus, victus pravus putriſque, frequens in regionibus ſeptentrionalibus, maximè navigantibus & locis maritimis.

4. Præ cæteris inter dictas res numeramus, carnem ſuillam, à coctione nonnunquam ſubolidam, lardum fumo infarctum, exiccatumque ſubinde rancidum, quandoque ab initio impurum, graviſque infectionis indiciis imbutum, plerumque crudum etiam devoratum.

5. Item reliquæ carnes & piſces, ſaliti prius, deinde atro, multoq; fumo transfuſi & indurati, vel multo ſale conſervati diu. Similiter, qui craſſæ ſubſtantiæ & exucci ſunt, ut ſalmo fumo induratus, &c.

6. Accedunt: caro venatica & putrida, volucres aquaticæ, & quæcunque fæculentum ſanguinem gignunt.

7. Cereviſia craſſa & fæculenta: uſus aquarum vitioſarum, in dulcium pe-

um penuria, unde ſævi gignuntur morbi, præter Hippoc. & Plinio l. n. 25. cap. 3. teſte qui ita: nec beſtiarum ſolum ad nocendum ſcelera ſunt, ſed interim aquarum quoq; & locorum.

8. Jejunia quoque in cauſa ſunt, cum exiguo mali ſucci cibo: ad hæc vigiliæ, labores intempeſtivi, immodicique affectus animi, cogitationes graves, & aſſiduæ.

9. Præcedentes febres quoq; inter cauſas numeramus, & vacuationum debitarum vel conſuetarum intermiſſionem ſive ſuppreſſionem, ut hæmorrhoidum, menſtruorum & ſimilium.

10. Immutata viſcerum temperies, & virtus coctrix debilitata, ventriculi cruditas, & obſtructio vaſorū, ab epate ad ſplenem, meritò ut rei accuſantur, ſi fixis & intentis oculis, ad curam hujus præſertim ægræ reſpicimus.

11. Motus gravativus in multis, quarto, quintoq; die, in plerisque ter-

tio,

tio, in paucis ſingulis diebus, ſine manifeſta tamen febre, obſervatur.

12. Aliquos interim quandoque ſimul febrire non eſt dubium. Nonnulli enim hâc hypochondriacæ ſpecie correpti, febre lentâ erraticâ afficiúntur.

13. Aliquando etiam febres præceſſerunt ardentes, malignæ, duplices tertianæ.

14. Quibuſdam alvus adſtrictior, alvus laxior.

15. Si jam adeſt, & factus eſt Scorbutus, maximè hæc quæ ſequuntur, propter morbi excellentiam ipſum arguunt. Livor crurum, quandoq; integras tibias inferiores, circum quaque, uſque ad pedes cum tumore ita obſidet, ut elephantiaſin notham quis judicaret.

16. Aliorum crura ſic attenuantur, ut oſſa videatur tegere ſola cutis plerumque cum calore multo nonnunquam abſque eo.

17. Quorundam maculæ in ſquamulas

mulas resolvuntur, quemadmodum in erysipelate, videri ferè solet: aliorum leves, æquales, nonnunquam splendicantes permanent, cum levi vestigio ad digiti impressionem.

18. Interdum apparet quoque vena varicosa, & sub linguâ totâ venæ minutissimæ, varicibus perquam similes, itendidem & in inferiori labro conspiciuntur.

19. Pulsus hîc ut in quartanâ febre, varius, exilis, durus, frequens, debilis, pro temporis morbi varietate.

20. Vrina rubicunda, turbida, crassa, fæculenta, instar vini rubri recentis, quemadmodum & fervente quartana, potissimum à sudore solet apparere, & est gravis odoris.

21. Scorbutum plerumque tabes comitatur, subinde hydrops, quandoque dysenteria: atrophia vero, propemodum semper.

22. Vlcera in tibiis si nonnunquam oriantur, quod raro fit, cicatricem difficulter admittunt, quippè

fætida

fætida admodum, maligna, & aliquando gangrænosa ita plerumque corrupta, ut immissum ferrum non sentiant.

23. Habent nonnulli in hoc morbo illæsas gingivas, sed defædata crura, qui vel ex ore vel ex naribus sanguinem rejiciunt.

24. Morientibus ex hoc malo plerisque delitescunt maculæ, & aliis à morte efflorescunt uberrimè.

De curatione scorbuti nihil hîc scribam: Varia enim haberi, apud varios authores, de hoc morbo curando, consilia; ij qui ex libris curare solent, absque ullâ ratione, benè sciunt. Vellem autem hoc unicum observent illi libellistæ, ut non excrucient ægros solis calidis remediis, ad Scorbutum specificis, sed latius studium suum exerant & perpendant, num Scorbuti constitutio omnimodo sit frigida? num vitium sit in nudâ viscerum obstructione? num aliquid sanguineæ massæ, & hepati tribuen-

buendum censeant. Quod ad Bellonam attinet, hanc ita curavi. Mittendi sanguinem occasio aderat nulla; itaque primis quinque diebus dedi brodium capi antiqui, infusionis fol. sen. & rad. polypod. cum pauca cinamomo. Postea per sex dies propinavi, singulis vicibus ex sero lactis extracti hellebori nigri, fol. sem. ana ℈j ß. rad. mechoacan. ℈j. syr. de pom. simplic. ℥ j. M. Horâ tertiâ qualibet die dabam ℥ ij. de sequente: A. aq. scolopendr. ℥ iij. epatic. ℥ ij. manus christi perlat. ℥ ß. solut. margaritar. ʒ j. succ. citri ℥ ß. succi granator. ℥ j. spiritus sulphur. acidi gr. vj. M. de morsulis his bis in septimanâ jejuno ventriculo, sumebat unam, quæ ponderabat ʒ j. A. flor rub. antimonii correcti cum spiritu vini ℈ j. auri vitalis ℈ ij. trochis. recent. de cappar. absynth. de lacca ana ʒ j. sacchar. in aq. cinamom. dissolut. ℥ ij. instill. ol. citri ℈ ß. Fiant morsuli. Octo dies sudabat, ex sequente sed leniter,

ter. A. ligni ſancti raſpet. ℥ vj. ſarſæ ℥ iij. paſſular. exacinatar. ℥ ij. cinamom. optimi ℥ j. prun. damaſcen. n. xv. adde ſpiritus ligni ſancti ℥ j ß. ſyr. ſcabioſ. ℥ j. de tribus. ℥ ß aceti ſambucini ʒ iij. M. Ex reſiduis fæcibus decoctionis, curabam conficere balneum additis: ivæ arthriticæ ℥ j. ſcoriæ ferri ℔ 1. cupri, ſtanni, ana ℔ ß. nitri, aluminis ana ℥ iij. herbar. camomill. aſari, polytrich. ana m. ij. lavendul. beton. ana m. j. M. Coquantur in aq. ſufficiente, ad conſumptionem tertiæ partis, & ſedeat in hoc balneo æger, uſque ad alas tectus, nec admodum ſudet, quod præcavebitur, ſi aqua non eſt ſupra modum calida. Antequam balneum ingrediatur, capiat aq. cord. frigid. ℥ j. capill. ♀ ℥ ß. balſami Peruviani, à quo multum juvamenti expertus ſum gr. v. ſyr. granator. ℥ ß. M. Poſt balneum inungantur hypochondria hoc unguento. A. gum. ammo. aceto diſſolut. ℥ ß. pingued. anſerin. ʒ j. ol. ſpermat.

ceti

ceti ℥ ij. ſapon. ℥ j. cum cera fiat linimentum, tegatur locus linteolo calido. Ventriculus fovebatur poſt balneum ſacculo qui continebat, nuc. moſch. pulveriſat. ℥ iij. garyophyll. ℥ j ventricul: anſeris n j. Vngebatur os ventriculi linimento ex balſam. menth ℈ j. ol. nuc. moſchat. expreſs. ℥ j. M. Porrò quæ ad menſtruorum promotionem appropriata erant medicamenta, juſto tempore & modo adhibebam, non ſine fructu. Victus ratio ejuſmodi erat. Cibis alebatur concoctu facilibus, & boni ſucci, moderatè calefacientibus, tenuibus, incidentibus etiam ſubindè atque attenuantibus & abſtergentibus: quibus leviter adjiciebantur adſtringentia. Frequens erat polenta hordeacea & avenacea, vel juſculum hordei excorticati, cum vino per ſetaceum redacti. Potus erat decoctum paſſularum in vino & aquâ, adjecto ovi vitello. Amygdalas etiam dabam cum colatura, decoctorum furfurum triticeo-

rum apparatas, quibus amarorum aliqua pars erat mixta. Ante cibum per horam unam ſumebat ℥ ij. de ſaccharo roſato vitriolato. In menſa utebatur juſculo frequenter ex capparibus, non ſalitis, vel à ſale ablutis. Aromata in cibo pro flaccidi corporis & morbi exigentiâ, interdum miſcebam. Condimenti loco, utebatur capparibus ipſis, cum uvis paſſis, pauco cinnamomo, oxyſacchar. vel oxymelite. Melius eſt ſi cappares, dentibus, vel arte, priuſquam deglutiantur, atterantur. Salis loco, uſurpabat pulverem noſtræ deſcriptionis ex rad. aronis, ſal. juniperi, cochlearia & naſturtio cum ſpeciebus aromatici roſati, præparatum. Potus ſit cereviſia bona, vetus & optimè defæcata, maximè ſcolopendriaca & abſynthites, uti & vinum ex eâdem herbâ, vel chamædryo ſi placet confectũ. Cum vero cereviſia Hamburgenſis exactè defæcata ſæpe non habeatur, ſoleo injicere vini menſuræ ſpiritus vitrioli

oli ℈ ß & ſpiritus tartari g. viij. Aqua lactis, lac caprinum, vel in ejus defectu vaccinum recens, quoq; bibi poteſt. Coquantur autem in hoc prius ſiſymbrium, cardamine, vel naſturtium hortenſe, cum foliis latioribus. Illi qui lacti aſſuevere, eoq; delectantur & innoxiè bibunt, cochleariâ uti poſſunt ſine noxâ. Finitâ menſâ facio pillulam unam atq; alteram cum ſyrupo granatorum, ex ſpeciebus diamargariti frigidi, additis corallis & guttis aliquot ſpiritus ſulphuris acidi & tincturæ corallorum. Aër erat in cubiculo mundo & lucido, ad caliditatem & ſiccitatem diſpoſitus: interdum fumus excitabatur, ex tacamahaca & ol. garyophyllorum Triſtes animi affectus quantum poterat, vitare cogebatur & in cæteris rebus non naturalibus obſervabatur mediocritas. Et ita Dei clementia reſtituta eſt priſtinæ valetudini Bellona.

Quæſtio eſt, I. Vtrum priſci Medici Arabes & Græci Scorbutum cogno-

cognoverint & descripserint? Sunt qui negant, ego affirmarem ex sequentibus fundamentis. Avicenna c. 3. fen. 15. tractat. 2. c. 5. quandam symptomatum quæ in Scorbuto apparent, recenset congeriem. Et quamvis de his agat sub titulo apostematum splenis, tamen de morbo simili Scorbuto egisse videtur, & ratione splenis, & respectu spleneticarum affectionum. Id enim parum ad quæstionis negativam facit, quod dicunt: quamvis Avicenna proximè de Scorbuto egerit, tamen eundem nomine suo proprio non depinxit. Hoc enim ipso insinuant, de nomine certamen esse, non de morbo ipso. Licitum enim nobis sit illud ipsum symptoma, quod Avicenna spleneticum morbum nominat, appellare Scorbutum: quod nomen fictum ex Danica & maritimâ germaniæ lingua est, quasi ruptum ventrem quis dicat. Si germanus fuisset Arabs Avicenna germanicum forsan nomen affinxis-

affinxiſſet illi morbo, & ſi nos Arabes eſſemus, Arabico illum indigitaremus titulo. Videamus Hippocr. l. 2. prædict. ſect. 2. qui ſcribit: Quibus lienes magni, iis gingivæ vitiantur, & os graveolet. Quibus autem lienes magni ſunt, neque ſanguinis eruptiones contingunt, neque os graveolet, in tibiis ij mala ulcera habent, & nigras cicatrices.

Quis ex his non videt Hippocratem duo præcipua ſigna Scorbuti denotaſſe, utpote gingivarum vitium, & tibiarum nigras cicatrices? Quod autem diverticuli loco dicunt: Hippocratem in eâ ſententiâ eſſe, quod eodem tempore, utrumq; illud ſymptoma, in ſplene magno non conjungatur: In Scorbuto autem ſimul gingivas putreſcere, & tibiarum lituras amplas liveſcere: quod iſti ita interpretantur Hippocratem dico, malè agunt. Falſum enim eſſe apparet, hoc illorum axioma: *Semper in Scorbuto gingivarum vitium & tibiarum lituræ*

 adeſſe

adesse debent. Permulti enim videntur Scorbutici, qui lituras in pedibus habent, nullo præsente dentium vitio, & contra. Hoc & ipsi aperte fatentur, quando dicunt: si humor melancholicus acris non fertur sursum, sed subsidet, tibias maculat & exulcerat; si vero ascendit ad os, corrumpit gingivas. Videant ergo an necessarium sit utrumq; illud symptoma semper conjungi. Et qui curare poterit cum intellectu Avicennæ & Hippocratis spleneticos morbos, is facile cognoscet & curabit Scorbutū: modo rem & morbum ipsum rimetur: omissis nominum rixis. Quid quæso sentis, de stomacace Plinii l.25. c.1.

2. An ex Scorbutuo potest oriri Quartana? Scorbuti materia sanguis crassus & niger est, qui in venis contentus sub idea simplici, quatenus siccus, crassus, frigidus, non facit febrem quartanam, multò minus aliam. Si autem putrescere incipit, putrescit ut humorem adjunctum habet, & facit febrem continuam, at potius inordi-

natam, quàm typum quartanæ habentem. Ego ſtatuerem : hecticam oriri ex humore melancholico in venis, vel per modum putredinis vel per modũ incinerationis, febriente abſolutè enim quartana continua haud datur. Et ſi alio quocunq; modo, abire in quartanam Scorbutus poteſt, fiet id ſi præcedunt febres ardentes, malignæ; & Scorbutus poſt eas febres, nõ rectè curatus fuit : ut accidebat grãmatico illi Romano, in ſimplici quartana negligenter à medico curata. Sic ergo febris quartana, vel maligna ſubſequi poteſt.

3. An quartana & aliæ febres in Scorbutum terminantur? Febres in Scorbutum terminari dicunt multi; & verum eſſe poteſt in ipsâ quartanæ declinatione Scorbutũ apparuiſſe. Quâ ratione autem hoc fiat dubitatur meritò, an titulo criſeos? an novi ſymptomatis? haud ſæpe ego crederem febres ejuſmodi, ex melancholico & fæculento ſanguine ortas per criſin terminari: quin novos ex labefactatis

viſceribus atrophiâ & multâ ſanguinis corruptione, putrilagineq;, producant morbos, prioribus non raro pejores.

4. An Scorbutus morbus contagioſus? Scorbutum contagioſum eſſe conſtat, quod in ijſdem familiis, aliquando ſit ſatis frequens: partim quod eodem victu ſint uſi ægri, partim quod contactu lædat, quando in oris & gingivarum vitio ex ijſdem bibunt poculis, vel aſſiduâ contrectatione vitiatos ſpiritus admittunt.

5. An pro hæreditario morbo habendus Scorbutus? Jus hæreditatis ſibi vendicat Scorbutus: à parentibus enim in liberos propagatur utriuſque ſeminis temperamento, & conſtitutione, accuratè conſideratis: nec ſolum ſeminis ratione hoc accidit, ſed beneficio quoque ſpirituum. Hinc fit quod à pueritiâ aliqui ad melancholiam ſint propenſi, præſertim quorũ majores & parentes, eodem morbo decubuerunt. Sic quoque evenit,

ut

ut homines naturâ ſint, vel bilioſi, vel ſanguinei, vel melancholici. Nil ergo obſtabit, quin etiam naturali inclinatione, ad talem, vel talem morbum, alter, altero ſit proclivior. Plura uſus docet.

6. An cereviſia Hamburgenſis una eſt ex cauſis Scorbuti? Extra cereviſiam Hamburgenſem in totâ inferiori Saxonia non eſt potus: ego ne aliter dixerim. Verum obſervationi multorum ante me medicorum facilè ſubſcribo: illos nempe qui frequentius bibunt cereviſiam Hamburgenſem, facilius Scorbuto & gravius affligi quam alios, qui rariores & moderatiores ſunt in hoc genere potationis. Nec ex his inſipienter quis concludat: qui non bibit cereviſiam Hamburgenſem immunis erit à ſcorbuto. Poſſunt enim aliæ eſſe æquè validæ cauſæ: ſiquidem ſuo genere, ſuâ naturâ, ſuis diſpoſitionibus cum Scorbuto convenit, præſertim illa hæc cereviſia, quæ fæculenta, turbida,

dulcis & recentissima bibitur. Quis est qui statuit dulcia spleni prodesse, lenta, crassa, & impura, non generare obstructiones? quis communi contradicit experientiæ? hæc sensui subjicit: quemvis potum turbidum, recentem, & dulcem, excitare ventris tormina: quid autem aliud est Scorbutus, quam hypochondriorum cruciatus?

7. Quo fundamento, libentius vesperi, quam in prandio quidam bibunt cerevisiam Hamburgensem? Cerevisia Hamburgensis, vetus & defæcata moderatè hausta prodest, hyeme minus quam æstate nocet. Tria hic consideranda: ratio: consuetudo: experientia. Ratio suadet, consuetudo introduxit: experientia comprobavit. Persuasio fit confidentiâ virtutis concoctricis & caloris, qui nocte in corpore fortior, melius crapulam & cruditates concoquit. Introductio à ratione derivatur, & reliquarum cerevisiarum penuriâ, confirmatione facta

facta ab experientia, quod sine noxa singulari, pręteritâ vespera cerevisiam biberint: quid interim visceribus accidat non curatur: Approbatio præsupposuit errorem; distinctiva enim virtus, hoc sapori & utilitati stipulando promisit: meliorem vesperi, quam in meridie vendi cerevisiam Hamburgensem. His ut Medicus cerevisiæ dictæ nihil derogatum volo.

SOROR SECVNDA,

Status

Ægritudinis Secundus.

FLAMINIA in plateâ ad anchoram ſacram conquerebatur, de dolore capitis non adeò acerbo, ſed gravativo in fronte: ſingulis diebus manè evomebat, non ſine violentiâ, pituitoſa, aquoſa, inſipida. Jejunium non facile ferebat: poſtquam cibum ſumpſerat, humida expuebat, aliquando ſalſa. Subſequebantur ructus acidi, & flatus copioſi. Æſtus in præcordiis aderat, hinc ſitis, aliquando ventriculi inflationes, vehementesq́; dolores, interdum in dorſo. Peracto tempore coctionis, vomebat bilioſa cum torminibus ventris, quibus repente ſeceſſus bilio-

oſus

osus succedebat. Menses exigui & crurum gravitas. Mittebatur sanguis: curabatur.

DISCVRSVS.

STupidè mihi ij videntur facere, qui hypochondriacam meseraicam et melancholiam hypochondriacã confundunt, existimantes in solis vocabulis, & nominibus differentiam diversorum morborum, & sedibus & symptomatibus discrepantium esse positam. Errant ergo illi toto olympo & contrarium nos docuit cum ratione experientia. A nullo descriptus est hìc morbus; nisi quod Galen. l. 3. d. l. ff. c. 7. ex Dioclis sententiâ quædam referat: ex quibus statuere possumus, Diocli notum hunc fuisse morbum. In talem ergo modum describitur. *A sumpto cibo coctu difficili & caustico succedit sputum humidum, & multum, ructus acidus, flatus, æstus, in præcordiis, postea flu-*

ctuatio: aliquando ventriculi vehementes dolores, qui concoctis cibis quiescunt: sed aliis indigestis revertuntur, aliquando jejunis. Evomunt cibos crudos, pituitam subamaram, calidam & acidam, vel quæ aliquando obstupefacit dentes.

Consimiles morbi ab Hipp. 2. de mor. s. 5. recensentur: alterum vocat αὐαντή, sive morbum siccatorium, de hoc ita:

Non inediam, non cibum sumptum, ferre potest, sed jejuno quidem, viscera rugitum edunt, & ventriculi os mordetur, & aliâs alia vomit, bilem, salivam, pituitam, & acre, postq; vomitionem aliquantisper melius habere videtur. Ubi autem cibum sumpsit, ructus ei contingunt, cum rubore incenditur, semper se copiosum alvi excrementum dejecturum existimat, cum vero desederit, flatus infra demittitur, caput dolore vexatur, totum corpus hûc & illuc velut acu pungi videtur, crura gravantur, debilitantur & imminuuntur, debilisq; evadit. Et ut verum fatear omnia hæc quæ dicta sunt,

ſunt, ipſe nuper expertus ſum ad unguem, in nobiliſſimo quodam patiente, quem ut hypochondriacum meſeraicum feliciter Dei adjutorio curavi, quamvis antea ferè uſque ad animam, ut melancholicus hypochondriacus & contra choleram medicamentis, vexatus fuerit. Alter morbus cujus Hippocrates loco citato, meminit, & cum noſtra hypochondriaca convenit, ab ipſo dicitur *Morbus niger*, & de hoc ita inquit. *Bilem atram, tanquam fæcem vomit, interdum quidem velut ſanguinem, interdum verò velut vinum ſecundarium, quandoque etiam veluti polypi atramentum, nonnunquam vero ſalivam & pituitam tenuem, nonnunquam bilem ex viridi pallidam. Et cum nigrum quidem cruentum vomuerit, eadem olere videtur, fauces & os ex vomitu incenduntur, dentes obſtupeſcunt, & quod vomitione rejectum eſt terram attollit, cumq; vomuerit paulò melius habere videtur, neque ſine cibo eſſe, neque copioſum cibum ingeſtum ferre poteſt. Ve-*

rum

rum cum jejunus fuerit, viſcera ſtrepitum edunt, & ſaliva aceſcit. Ubi vero cibum ſumpſit, pondus in viſceribus percipitur pectus & dorſum, tanquam ſtylis pungi videntur, latera dolor detinet, febris levis eſt, caput dolet, oculis non videt, crura gravantur, color nigricat & imminuitur. Sane miror nullum hactenus inter tot ſcriptores hujus morbi feciſſe mentionem, cum à ſeculo fermè homines excruciarit & enecarit, quod tamen multo magis facere debuiſſent, cum ſatis anſæ illis Hippocrates, ut ex mox dictis patuit, præbuerit. Laudes inter omnes meritò tribuimus Cæſalpino Romano medico cujus liber (paucis ab hoc annis ſtudio D. Doctoris Bruxij editus) quædam de hoc morbo habet, pract. l. 7. c. 4. Quid porrò ſtatuendum, tanquam per ſynopſin demonſtrabunt ea, quæ in principio ſtatus ægri primi, de altero gradu paſſionum hypochondriacarum, præfati ſumus. Notandum quod hic morbus aliquando

ab

ab ineunte ætate incipiat, & non nisi divexatos ægros & consenescentes deserat, si quando relicturus est, alioqui ad mortem usque comitatur. Quæ causa sit quod citò affligat, & tardè vel nunquam desinat hic morbus, non adeò laboriosum est invenire, si nativam corporis constitutionem, viscerum, vasorum, & humorum, proinde integram hominis naturam, educationem, vitæque genus spectamus. Origo morbi primo intuitu apparet, ex nomine, hypochondriacæ meseraicæ; qua voce denotatur obstructio in venis meseraicis, cum intemperie calidâ, non autem vehementer tali, vel cum adustione ut quidam statuunt. Si enim vel per modum putredinis, vel per modum adustionis, sanguis in venis istis angustissimis corrumperetur, febre ægri affligerentur, aut putrida aut calidissima. Cum ergo nullum habeant typum febrilem, licet hecticæ seminarium circumferant, dicendum, simpli-

ſimplicis obſtructionis (de qua fuſius in febrium doctrina diſputatur) rationem eſſe habendam, ſic & viſcerum. Duplici enim hoc reſpectu ſanguis is atrabiliarius in venis meſeraicis eſt, qualis tunc ſuâ formâ eſſe conjicitur. Et hæc de theoriâ morbi ex Hippocrate habemus. Signa prognoſtica, cauſaſque inſinuatas diligenter legentibus uno intuitu his objicimus.

Rectè curam hujus morbi præſcribit Hippocrates, ex quo per maximas quæ ſubſequuntur transfero.

1. Purgetur patiens per inferiora, poſtea per ſuperiora & à capite.

2. Vomat poſt cibum, abſtineat à dulcibus & oleoſis, & pinguibus, ab ebrietate.

3. Lac & ſerum aſininum bibat.

4. Lavet in æſtate frigida.

5. Hyeme ungantur hypochondria.

6. Exerceatur motu, pedibus, vel curru.

7. Cir-

7. Cibis frigidis humectantibus & alvum dejicientibus, utatur, sin minus purgetur arte.

Ita curavit Hippocrates suos hypochondriacos, nos quomodo nostros? Tutissima curatio consistit in imitatione Hippocratis: illius enim dogmata mihi & omnibus veris medicis pro magisterio esse debent: quandoquidem nunquam me Hippocratis consilium fefellit: præsertim si nostra nova, ad illius vetera trutinamus, & quæ eveniunt in morbis, ingeniose memoriæ mandamus & observamus. Sic ergo ego curavi Flaminiam. Victus erat bonæ coctionis, boni succi, & non facilis corruptionis: vinum ventriculi causâ non adeo generosum, cum succo limonum acidatum concedebam: cerevisia tenuis ex aperientibus: serum lactis cum clarificatione succi citri inter prandium & cænam ad restinguendam sitim, copiosè propinabam. Obstructionibus medebar, per

ali-

aliquot dies aperientibus frigidis, modicè adjectis calidis, & in cibo, & in potu, & in medicina. Subducebam alvum syr. de pomis regis Sabor, de polypodio, cum aquâ 4. sem. frigidor. minor. Purgabam nodulo infuso in sero lactis claro ex fol. sen. epithymo cum pauco helleboro. Mittebam sanguinem ex mediana, habitâ ratione indicantium, & permittentium, ætate, virtute, præsentiâ sanguinis, peccantiâ sanguinis, & magnitudine morbi. Postea dabam aquam nostram acidam, ex destillatione aquæ rubræ Veneris, cujus descriptio in officina Lunæburgensi extat. Singulis vicibus ℥ ij addebam amygdalati nostri aurei ℈ ß. Vomebat ex granis aliquot extracti centaurei & corticum sambuci in jusculo. Vtebatur per duas septimanas, syrupo nostro antihypochondriaco, cujus descriptio in prædicta officina habetur, & quamvis sit amarus satis, tamen maximum & præcipuum juvamen-

mentum ex hoc percepi. Tandem singulis diebus manè & vesperi sumebat de rosatâ novella cum mistura ex trochiscis de absynthio, de cappa-ribus, de curcuma, cum magisterio vitrioli & lacte margaritarum & corallorum. Singulis septimanis bis lavabat calidâ, in quâ coquebantur pedes bovini, ferrum & herbæ refrigerantes, Hypochondria fovebantur interdum congelato lacte vel caseato calidè additis baccis Juniperi. Inungebantur spina dorsi ventriculus & abdomen cum hypochondriis. Adhibebam quoq; flatus discutientia cum felici successu, externè (nam interna calida sunt; & ratione flatuum juvant, ratione morbi nocent) ut emplastrum bituminosum, additis balsamis de sulphure & de Peru, attemperatis cum mucagine cancrorum & melonum. Et hac via procedendo curabatur ægra sola Dei gratia.

Soror

SOROR TERTIA

Status

Ægritudinis Tertius.

OLympia in via magna ad aram, dudum mente anxia cordis sentiebat angustias: ex pedibus & inferioribus corporis partibus, sursum auram ascendentem animadvertebat, metuebat apoplexiam multum desolata, punctiones membrorum, tanquam ab aciculis percipiebat, mortem imminere dicebat valida adhuc, lachrymabatur frequenter. Quæ videbat, qualia essent, benè discernebat, sed res visas in memoriam revocans easdem nigras fuisse dicebat, licet albæ vel rubræ, aut alterius coloris fuerint. Tristis semper & suspiriosa, quamvis non-

nun-

nunquam lætitiæ argumentum præ se ferebat, onus in regione cordis summè accusabat, nec non hypochondriorum dolorem, memoriæ debilitatem, sensuum omnium confusionem, & quasi somnolentiam, vel stupiditatem, dormiebat vigilans, menstrua inordinata & pauca fluxerant, etiam in partu & post partum insufficiens fuit expurgatio. Vomebat, curabatur.

DISCVRSVS.

DEvenio ad morbum Lunæburgi non infrequentem, in cujus curâ multum fui impeditus: si ex morbis aliquis est, qui ex juvene canum reddit medicum, hic reverà præ cæteris est. Dicitur hypochondriacus phantasticus; ideò quod non corpus sed animus afficiatur principaliter; ad quem Phantasia pertinet: nec hoc per se, sed respectu hypochon-

chondriorum, ex quibus causa Phantasiam depravans originem sumit. Itaque existimo, medicos non adeo ignorantiâ obrutos esse, ut hanc Phantasticam hypochondriacam, melancholiam hypochondriacam nominent, quæ est delirii species. Olympia autem nunquam deliravit. A loco affecto itaque nominatur hæc Phantasia, in quâ ab atrabiliariis vaporibus imaginatio & judicium quodammodo ita pervertuntur, ut sine aliquâ causâ admodum tristentur ægri & metuant omnia tuta: neque mœroris aut timoris, causam ullam certam afferre possunt, nisi eam quæ nullius est momenti, vel quam ex depravatâ apprehensione conceperunt, falsam opinionem. Vt cum se damnatos, Deo minimè curæ, nec prædestinatos esse, etsi religiosi, & pii interim sint, sibi persuadent & extremum judicium æternumque supplicium metuunt. Hoc horrendum symptoma locis maritimis est frequens

quens gratiâ victus, cujus vis non minima censenda, & cum communem habeant parentem, succum nempe melancholicum, ideo facile hic illic generatur. Non rarò hac hypochondriacâ correpti, ad blasphemiam erga Deum, ad multa horrenda perpetranda, ad manus violentas sibi inferendas, maritum, uxores, liberos, vicinos, principem interficiendos, nullâ zelotypiâ, nulla invidiâ ergà illos quos potius intimè ament, commotos contra voluntatem, veluti cogi, talesque cogitationes invitis etiam sibi obrepere, cum intereà Deum, ut se ab impiis illis cogitationibus liberare dignetur, instanter rogare non cessent, sæpe mihi multis cum lachrymis, profundè ductis suspiriis, summo cordis angore, totiusque corporis tremore, fassi sunt. Et accidentia enarrata sæpius, sæpeque eodem die intermitti, rursumque repeti observavi, & qui ita affliguntur, se ægrotare, hâc vel illâ parte dolere, &

gravari diſcernere poſſunt,licet non decumbant, muniaque alia nihilominus obire queant. Perpetuò tamen de cordis anxietate & triſtitia,de hypochondriorum in latere præſertim ſiniſtro dolore, æſtuatione, pulſu, murmure, ructibus, vomitu, exſpuitione, capitis dolore, vertigine, aurium tinnitu, arteriarum pulſatione, aliiſque innumeris affectibus, quos ſentiunt, & ſibi aliquando imaginantur, conqueruntur, & medicos obtundunt, curationes expetunt, variaque remedia tentant, & niſi mox leventur, medicos pharmacaque mutant. Res clarior evadet,conſideratione cauſarum & loci affecti per canones præhabitâ.

1. Vapor melancholicus teter, conturbans ſpiritus, caputque afficiens ſpeciem parit hypochondriacæ, quam anguſtiori titulo Phantaſticam nomino.

2. In partibus abdominis, quod Mirach Arabes vocant, ſub coſtis ſeu

hypo-

hypochondriis causa hujus mali latet; ab eaque sede vapor sursum certo tempore ad caput delatus phantasiam hanc, tunc quando illud petit efficit: hinc fit quod horæ hora non respondeat, sed mox ab angustia cordis liberi ægri videantur, mox eandem iterum percipiant.

3. Triplex sedes huic morbo adscribitur: 1. plerique in liene, quod melancholiæ naturalis receptaculum sit, fomitem hujus mali ponunt, & quia sinistro latere ægri magis molestantur. 2. In ventriculo quoque sinistrum hypochondrium magis occupante, partibusque vicinis, materiam hanc contineri asserunt. 3. In jecinore & mesenterio illiusque venis meseraicis dictis collocant.

4. De nostrâ ægra dicimus, in meseraicis venis, non tantum mesenterium & omentum, sed & alia viscera naturalia perreptantibus, materiam morbi latere & congeri: illis præsertim in locis ubi plures, majoresque

hi venæ portæ rami verſus lienem & ventriculum in ſiniſtro latere tendunt.

5. In aliis quoque ſedibus hæc materia coacervari poteſt, quo nomine frequentius in ſiniſtra, nonnunquam tamen & in dextra hypochondriorum & dorſi ſede, ubi lien præcipuaque viſcera abſtruſa latent, moleſtias ſentit.

6. Et ſic modo incipit ab epate, modo à liene, cum humor inter ventriculum & lienem ſubſiſtit in venis. In his enim duobus locis præcipue fieri poſſe ſtatuo, vel ab intemperie, vel obſtructione, vel ab utraque.

7. Suſpectus nobis uterus eſt præcipuè in hâc ægra, qui certis argumentis ob colluviem, & humorum vitioſorum præſertim ſanguinis impuri abundantiam convincitur. Nuper enim in exercendis ſordibus puerperii fuit admodum contumax & tardè inobædiens.

8. Materiam dictis in locis latentem, à quâ evaporatio hæc exurgens, mentem afficit, sanguinem melancholicum plerique esse perhibent, quod & nos non negamus, sed de qualitate controversia est, an frigidus hic sit? an calidus? Et utrumque posse dari experientia docuit.

9. Calidus enim potest esse hepatis calidi & loci conditione, cum æstuatio, quam in eo loco ubi humor latet sentiunt ægri, acrimoniam & caliditatem humoris illius satis declaret.

10. Frigidus potest esse in aliis partibus exterioribus, à loco affecto remotioribus in quarum venis sanguis crassus niger & quodammodo infrigidatus & siccus est. Hæc enim ægra rarò pedes & manus habebat calidas, ita ut aquæ aliquando insidere calidissimæ (quæ famularum negligentia talis erat relicta) potuerit, seq; nihil sensisse molestiæ, nisi exiguam caliditatem, affirmabat. Alterâ vice

lavabat calidâ temperatè, quam tamen ſumme frigidam eſſe dicebat. Et referebat ſenſum tactus eſſe adeo obſcurum, ut quæ tangeret, ſibi viderentur per chirothecam vel aliud medium tangi.

11. Hinc ſtatui poteſt illos vapores, qui cerebrum petunt, vel frigidos eſſe, vel à cerebro infrigidari & congelari, unde ſpiritus nervos perreptantes frigidiores facti ſenſum non adeò acutum & vivum cauſant.

12. Totam ægram à naturali ſtatu egreſſam eſſe non eſt dubium, & ſpiritus animales; quos claros, ſerenos, lucidos; & puriſſimos antea fuiſſe ſcimus nunc obfuſcant, obſcurant, & obtenebrant, vapores ſpiritibus permixti.

13. Per biennium hujus mali initium ſenſit, neglectum autem jam eò validius ſe manifeſtat. Facile potuit immutari cerebrum à vaporibus, non ſolum qualitativè, ſed quod materia ſpiritibus permiſta eos per-

tur-

turbet, & cerebro, cujus ſubſtantiæ ſpiritus undique connatos eſſe anatome docet, malignitate quadam, quam ſimul quoq; adepta eſt, noxam tandem illam, ex quâ tam enormia ſequuntur accidentia, quæ tamen propterea mortem mox inferre non poſſit, cum diuturnum ſit malum, imprimat. Et hæc materia eſt vel vapor, vel humor melancholicus.

14. Cauſa & origo melancholici hujus ſanguinis in venis meſeraicis collecti, à malâ victus ratione, ſuccum illum melancholicum ſeu biliosum craſſum gignente diu continuatâ, unde magna ſenſim illius illuvies tandem coacervatur, procedit.

15. Quod ab omnibus cibis pravi ſucci, difficilis coctionis, corruptis, calidioribus potius, quam frigidioribus & ſiccis, quibus maximè gulæ & voluptatis cauſa, cum dulcia, pinguia, acria ſint, peccatur, evenire poteſt.

16. Magnam quoque occaſionem, & præcipuam huic malo præ-

bet, si excretiones, per quas natura impuritates in ventriculo aut intestinis primum collectas evacuare solebat, ut dejectiones alvi, vel vomitus, quibusdam certis temporibus consuetæ, non amplius fiant, aut si jam in venis meseraicis, illuvies hæc collecta sit & hæmorrhoides mensesque supprimantur, & restiterint, quæ præcipua interdum est hujus mali origo, ut in nostrâ hâc patiente.

17. Cum nonnunquam vapores massam sanguineam, in reliquo corpore inficere, & in veram & perseverantem melancholiam convertere possint: ideo ad curam transeundum & ejus perspicua habenda est ratio.

Curæ scopi hi: I. Materia in venis meseraicis contenta, lenienda, evacuanda, vel per sanguinis detractionem, vel illam ad ventriculum & intestina evocando, & per vomitum secessumque ejiciendo.

II. Ne rursum nova generetur bonâ coctione instituta, præcavendum.

III. Ne vapores sursum ferantur, cerebrumque imprimis perturbent, & cordi quoque molestiam afferant, ideo divertendi.

IV. Naturales excretiones promovendæ.

V. Somnus conciliandus.

VI. Principes partes roborandæ, & ventriculo, & hepati & lieni ne lædantur prospiciendum.

VII. Æstus præcordiorum & venæ dorsalis temperandus unctionibus & balneis.

Sanguinis detrahendi indicatio nulla in Olympia, nisi quod menses justo tempore, & legitima quantitate evocarim. Ideo sic processi. Primis sex diebus lavabat tepidâ cui incocta erant, refrigerantia & temperatè calida. Lavabat caput ex parte aquæ & vini parte, cui incocta erant

asarum, majorana, rutha, stæchas, hypericon, additâ portione hyosciami semine & papavere, cum helleboro nigro. Interim bibebat de lapide croatio oculato. Quatuor sequentibus diebus utebatur antehypochondriaco mitigativo tali.

A. aq. splenetic. scorbutic. ana ℥ ij. cerefol. hepatic. frigid. ℥ j ß. syr. de pomis regis Sabor. simplic. ana ℥ j. de succo boraginis, buglofs. de polypodio ana ℥ j ß. acetos. fumar. ana ℥ ß. melanagogi ℥ j. Vini granator. simplic. acetos. citri ana ℥ j. Spiritus Vitriol. g. xvj. magister. tartar. ℈ ß. M. de hoc mane sumebat ℥ ij. Horâ tertiâ ante balneum capiebat ℥ ij. de hoc. A. rad. gramin. asparag. endivi. cichor. ana ʒ ij. enulæ ʒ v. flor. borragin. buglofs. tamaricis, anthos ana manip. ß. cortic: cappar. fraxin. ana ʒvj. coquantur ad medietatem in aq. borag. buglofs. cichor. melifs. bethon. ana ℥ iij. cola-

turæ

turæ adde conserv. rosar. melissæ, boragin. bugloss. ana ℥ vj. bulliant parum; clarificato liquori adde extract. diptam. albi. centaur. ana ℥ ß. solut. margaritar. ℈ ij ß. ſucci mali citri ℥ j. syrup. de bugloss. de ſucc. violarum ℥ ij. simplic. aceto limon. ℥ ß. syr. granator. dulc. de pomis redolentibus ana ℥ vj. spiritus sulphur. acidi gr. xvj.

Alternis diebus gestabat, lapidem croatium pro amuleto. Hypochondria & spina dorsi, in parte venæ cavæ ungebantur post balneum tali. A. ol. de cappar. ℥ j ß. gum. ammoniac. aceto scyllitic. dissoluti ℥ ij ß. unguent. de ceruss cerot. sandal. ana ℥ j ß. balsam. peruviani ℈ ß. Vesperi horâ somni ungebantur pulsus & tempora in loco arteriarum hoc.

A. Vnguent. rosat. mes. infrigid. gal. ℥ ß. opij gr. viij. balsam. citri gr. vj. cerot. sandal. ℈ ij. ol. garyophyl. gr. ij. M. Novem diebus sumebat

ſyrupum noſtrum ante hypochondriacum purgantem ſine ullo dolore leniter. Illis ipſis diebus hora tertia aquam Olympicam noſtram ad ℥ ij capiebat. Vno ſemper interpoſito die de hoc ſumebat veſperi ℥ j. ℞. aq. ſophor. ℥ iij. roriſmarin. ℥ j ß. ſyr. de bethon. ℥ j. de garyophyll. ʒ ij. ſimplic. acetoſ. citri ℥ j. In lacte quater poſtea lavabat cui ſpecifica quædam & propter occultam vim approbata, incocta erant.

Fovebantur hypochondria ſpongia aceto calido imbuta, & geſtabat emplaſtrum fumos ad caput aſcendentes detinens, inuncto prius loco unguento infrigidante. Stato tempore antequam fluerent menſes, propinabam mane appropriatum ad horum provocationem. Vomebat (16. diebus in curâ peractis) ex vomitivo noſtri croci. Cor & caput externè & internè ex ſpecificis corroborabam, ſic & ventriculum & lienem.

Præ-

Præcipua inter hæc erant ſolutio quinque gemmarum, & aurum noſtrum vitæ, tandem ſex diebus manè & veſperi bibebat ex aq. ſcolopendr. ſolut. chryſoliti & topazij gr.vj. Victus ratio erat ex frigidis, temperatè calidis & aperientibus, conceſſis omnibus exceptis ſalſis & craſſi ſucci cibis. Vinum tenue, cum infuſione limonum concedebatur, bibebat cereviſiam benè coctam & vetuſtam. Interdum dabam juſculum præſertim veſperi ex juglandibus, papavere cum aq. roſar: addito parum de nuce moſchata. Mutabat aërem expatiando, & cætera quæ ad affectus melancholici curationem conducere videbantur ſummâ curâ adhibebam. Sic pedetentim curabatur. Eſt enim contumax morbus, qui non in momento invadit: atque indiget, firmâ fide: ſpe rata: ſummâ conſtantiâ & patientiâ: moleſtus medico: moleſtior ægro.

In

In nomine Dei ſummi, qui à ſeculo in ſeculum: & à nullo perſcrutabilis, cujus gratiâ omnis ſermo accipit benedictionem, & omnis actio gratiam finit ſuam Triadem author: illius miſericordiæ in ſeculorum ſecula ſit gloria infinita Amen.

PARERGVM.

Quis tandem Medicorum mihi dicet? quomodo Hippocrates à perjurij crimine modestè sit absolvendus, quo se mihi hactenus suspectum reddidit. Reus criminis ex sequentibus apparet. In jurejurando ita jurat: Neque mulieri pessum subdititiū ad fœtum corrumpendum exhibebo, sed castā & ab omni scelere puram, tum vitam tum ætatem meam perpetuò præstabo. *Contra se fecisse in libro de natura pueri fatetur volens, his verbis.* Equidem genituram, sex diebus in utero retentam, & foras prolapsam ipse vidi, & qualis tunc meo judicio visa est, ex eo reliquorū conjecturam facio. Quanam autem ratione

tione istud viderim enarrabo. Mulieri nobis familiari, perelegans erat fidicina, quæ cum viris conversabatur, & quam minimè decebat esse gravidam, ne viliore loco haberetur. Hæc audierat quæ mulieres inter se narrant, si quando mulier conceptura sit, genituram intus manere, neque foràs egredi. Quibus auditis & intellectis, ea semper in animo habuit. Cumq; aliquando genituram non exire, percepisset, rem ad dominam detulit, quæ ad me etiam pervenit. Quo audito, ipsa in terram ut desiliret jussi. Quod cum fecisset septies, genitura cum sonitu in terram defluxit, quam illa videns, non sine admiratione spectavit. Ego vero qualis erat, referam. *Hactenus Hippocrates.*

Quis inquam medicorum excusabit Hippocratem, ut perjurus non videatur? Etsi quidem diverticula apud me habeantur, quibus quodam modo authoritas Coi salvari posset, tamen ut verum fatear, patronus Hippocratis eò quidem se divertere poterit, at vix constanter permanere. Inter cætera dici potest: Hippocratem jurasse, se non pessum mulieri subditurum. Cum ergo fidicinæ, cujus in libro de natura pueri meminit, pessum non indiderit, quis illi perjurij notam inureret? Plausibiliter defenditur Hippocrates, at non firmâ innocentiæ demonstratione. Juraverit licet se gravidæ pessum non subditurum, tamen reliquas species & formas medicamentorum, quibus fœtus abigi potest, non excludit, sed inclusivè loquitur, comprehendens varia remediorum genera, quibus fœtus corrumpitur.

pitur. Non enim sola pessi formâ sed & liquoris, pulveris, extractíq; figurâ ejusmodi medicamina antiphysica constant. Porrò si dicitur Hippocratem nullum medicamen psaltriæ ad genituræ abjectionem propinasse, nec aquam, nec pulverem, nec extractũ, & ita prorsus nihil: Respondeo: sat fuit psaltriæ, hoc consilij ab Hippocrate accepisse, ut in terram desiliret, quod fidicina haud fecisset, sine Hippocratis instructione. Non ergo excusat illud: pessum non subdidit, ergo innocens: sed quia consilium dedit, ergo perjurus. Nunquam enim medicus aliquid ordinat & præscribit, sit pessus, sit haustus, sit pulvis, nisi consilio præhabito. Consilium ergo Hippocratis fuit psaltriæ loco pessi. Omnibus enim actionibus, judicij & consilij præsupponitur conceptus. Qui pessum subdit, id efficit quod prius co-

gita-

gitavit. Et quacunque ratione, quis medicorum genituram vel fœtum, abigit sive consilio sive medicamentis, is ſane perjurij ſtigma circumferre videtur. Tandem pro Hippocrate hoc militabit. Quod Hippocrates de genitura in prædicto libro exemplum referens, loquatur, nõ de fœtu pro cujus ſalute jurat in jurejurando. Labile hoc genus excuſandi eſt. Quid genitura, quid fœtus? quid res in fieri, quid res facta? quid diſpoſitio & forma, quid habitus & formatum? ex genitura fœtus non contra niſi ſucceſſivè & latiori ſignificatione. Ergo ex corruptione & abjectione genituræ perditio fœtus. Quid perfectum & imperfectum? quid hominis rudis & delineatio, motusq́ue ad plenariam hominis perfectionem; & ipſa hominis exacta exiſtentia? nunquam in æternum divellentur. Qui aufert

motus

motus (non motionis) principia, is aufert medium & quietem finem motus. Vltimo jurat Hippocrates, se vitam suam sanctam castamq; servaturum: vix tali consilio & juramentum, & vitam ab omni crimine, ut ipse dicit, salvabit. Expecto medici cujusdam non minorum gentium Dei sed magni nominis viri de hac re judicium, qui meâ petitione Hippocratem nostrum divinum, defendere duplicatis lacertis conabitur. Is me erudiet. Hac obiter.